

ARTICULUS III.

AN DENTUR ET EXISTANT VIRTUTES THEOLOGICÆ?

44. *Nota.* Alia est quæstio: an dentur virtutes theologicæ? alia hæc: an virtutes theologicæ parvulis infundantur in Baptismo? Postrema hæc quæstio varias epochas habuit; nam 1º. ut ex cap. *Majores* de Baptismo patet, inter Theologos seculi decimi tertii (tam enim Innocentius III. quam IV., quorum alterutri a diversis illud capitulum tribuitur, hoc seculo, ille sub initium, hic sub medium Petri Cathedram obtinebant) utrinque probabile erat, virtutes in Baptismo infundi aut non infundi. 2º. In Concil. VIENNENSIS sub Clemente V. an. 1311. celebrato, acceptata fuit ab eodem Pontifice sententia affirmans, *tanquam probabilior et dictis Sanctorum ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consona et concors*; ut refertur in Clem. unde sum. Trin. et fide Cath. §. 3. 3º. Demum eadem affirmativa in Conc. TRIDENTINO an. 1563. finito, absolute asserta fuit, ut in probatione theses ostenditur. E contrario Theologorum unanimis fuit semper sententia dari virtutes theologicas; nam quamvis de *infusione* virtutum in Baptismo parvulis asserenda olim dubitatum fuerit, tamen Theologorum invenitur nemo, qui eas adultis negaverit; imo cum contra sentientium rationes ad parvulos duntaxat spectaverint, et INNOCENTIUS ac CLEMENS quæstionem ad eos solos restrinxerint, hoc ipso colligere datur, nullam inter Theologos discrepantiam fuisse de extantia virtutum in adultis. Nec refert, MAGISTRUM SENTENTIARUM fuisse opinatum, charitatem non esse virtutem infusam sed Spiritum sanctum. Imprimis enim is fidei ac spei habitus concessit esse infusos, ideoque minus coherenter de charitate est locutus: deinde vero constat hanc fuisse solius Magistri opinionem, quam reliqui omnes minimum ut improbabilem et absurdam impugnabant.

45. *Dico.* Dari virtutes theologicas certius est, quam ut sine temeritate negari possit.

Prob. I. EX SCRIPTURA, quæ universim de virtutibus infusis sic loquitur 2. Pet. 1. 3. et 4. *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt...., per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*; speciatim vero de theologicis 1. ad Cor. 13. 13. et singulariter de charitate ad Rom. 5. 5. Hæc enim licet non incongrue explicari possint de *actibus*, negari tamen nequit, ea æque, imo principalius esse intelligenda de *virtutibus*. Nam 1º. propriissime illis convenit, quod sint participatio divinæ virtutis ad vitam et pietatem donata; cum sint principia intrinseca et permanentia eorum actuum, quibus christiane vivitur et pietas maxime exercetur. 2º. Convenit, quod sint promissa seu dona maxima et pretiosa, per quæ divinæ efficiuntur consortes naturæ. Licet enim gratia sanctificans, quam TRIDENTINUM unicam nostræ justificationis causam formalem appellat, sit hujus divini consortii forma quasi essentialis, ideoque velut natura in ordine supernaturali; ad idem tamen consortium pertinent quoque *virtutes*, tanquam partes illam integrantes, atque ad hoc ordinatæ, ut qui per gratiam divinæ factus

est consors naturæ, fiat per virtutes intrinsece potens ad operationes divinas constanter eliciendas; quod ipsum videtur indicare Trid. dum justificationem definit esse sanctificationem et renovationem interioris hominis per susceptionem gratiæ et *donorum*, hoc est, virtutum. 3º. Quod sint dona stabilia et permanentia, qualia significare videtur Apostolus, dum ait: *nunc autem manent*. Quid enim obstat, quominus *non manere* intelligatur proprie de mansionē physica, qua res semel existens secundum suam entitatem perseverat longo tempore, aut petit, quantum est de se, perseverare; id quod *habitibus*, non actibus convenit. 4º. Cum hæc virtutes causam non habeant, nisi solum Deum; ut ex hactenus dictis colligitur et supponitur: magis virtutibus convenit illud de charitate pronuntiatum: *Diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, quam actibus; hi enim non fiunt in nobis a solo Deo, sed simul a nobis physice et moraliter efficiuntur.

Prob. II. EX CONCILIO TRIDENT., quod, postquam Sess. 6. c. 6. dixisset, adultos ad justificationis gratiam in Baptismo recipiendam se *disponere* per actus fidei, spei, dilectionis et alios, mox in capitis septimi initio declarat, hanc dispositionem consequi justificationem, quæ non sit sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Hujus porro *causas* finalem, efficientem, meritoriam et instrumentalem ubi explicasset, pro formali statuit donum creatum, quo per Spiritum sanctum in cordibus diffuso, in nobis recepto, et nobis inhaerente justi fiamus, renovemur spiritu mentis nostræ, et non modo reputemur, sed vere justi nominemur et simus, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujuscumque dispositionem et cooperationem. Tum ita subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem.*

Ex his patet 1º. fidem, spem, et charitatem, quas asserit Concilium in justificatione infundi, non esse actus, sed dona ab actibus distincta; quia de actibus dixerat eos esse dispositionem ad justificationem et donorum susceptionem; actus autem nec sunt dispositio ad se ipsos, uti per se claret; nec ad alios similes actus ab adultis in ipsa justificatione eliciendos; quia nullos actus intervenire necessario Concilium exigit præter eos, qui justificationem præcedunt ut dispositio. Patet 2º. eosdem non esse dona transeuntia, sed permanentia aut permanentiter inhaerentia; tum quia Can. 28. dicitur: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem amitti; aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva...; anathema sit*: tum quia, si essent transeuntia, forent vel actus, vel auxilia ad actus: *primum* dici non posse, modo ostendimus: nec *secundum* locum habere ex hoc ipso sequitur; cum auxilia transeuntia requirantur unice ad actus, et quidem tunc duntaxat quando illi sunt exercendi soleant infundi. Patet *tertio*, illas proinde esse virtutes seu habitus operativos actuum supernaturalium fidei, spei, et charitatis: siquidem alias dari ratio non posset, cur dona vel permanentia vel necessaria sint.

Prob. III. EX AUCTORITATE PATRUM, ad quam provocavit CLEMENS V. supra cit., dum, sacro approbante Concilio, duxit sententiam, tanquam dictis *Sanctorum* magis consonam, esse eligendam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis con-

ferti in baptismo informantem gratiam et virtutes. *Alii* porro eorum, quamvis generaliter de virtutibus infusis aut specialiter de moralibus loquantur, quin disertam theologiarum mentionem faciant, censendi sane non sunt has utpote nobilissimas vel ignorasse vel negasse: *alii* aperte theologiarum meminerunt, e quorum numero unus hic sufficiat S. GREG. in Ezechiel. L. 1. hom. 5. n. 11. cujus verba c. 11. Dist. 2. de Pœnit. recitantur: *In sanctorum cordibus juxta quasdam virtutes* (Spiritus sanctus) *semper permanet: juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe atque charitate, et in bonis aliis, sine quibus ad caelestem patriam non potest perveniri.... perfectorum corda non deserit. In prophetiâ vero virtute, doctrinâ facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.*

Prob. IV. EX AUCTORITATE THEOLOGORUM, quorum unanimis in materia dogmatica consensus, qualem adesse proxime notavimus, vim habet argumenti moraliter certi.

Prob. V. EX RATIONE: partim quod homo gratia sanctificante instructus sit, in ordine gratiæ et ad Deum, tanquam finem suum ultimum supernaturalem, secundum naturam perfectus et dispositus, per eandem gratiam factus naturæ divinæ consors, filius Dei adoptivus et æternæ gloriæ hæres: partim quod, donec adhuc est in statu viæ, per actus fidei, spei et charitatis supernaturales ad eundem finem tendere debeat: hinc vero maxime credibile sit homini ejusmodi dari principia horum actuum non extrinseca duntaxat et mere transeuntia, sed etiam intrinseca et permanentia. Sicut enim homini connaturaliter debentur talia principia suarum operationum, quibus tendit in finem suum naturalem; sic etiam, cum gratia sanctificans in ordine supernaturali habeat se *per modum naturæ*, ratione illius homini connaturaliter debentur eadem principia operationum, queis ad finem suum supernaturalem feratur. His vero concessis, patet 1^o. ex supra dictis, quod ejusmodi principia nequæ insint homini a natura, neque ab eo naturaliter acquiri possint; unde consequitur ea infundi debere a Deo: 2^o. quod ea saltem omnia non sint realiter cum gratia sanctificante identificata.

46. *Obj.* Virtus definiri consuevit dispositio perfecti ad optimum; ita ut per τὸ *optimum* intelligatur finis virtutis: per τὸ *perfecti* denotetur subjectum, quod secundum naturam dispositum est ad virtutis finem. Sed non datur dispositio perfecti sic expositi ad optimum seu finem virtutis theologice et supernaturalis; ergo.

R. D. M. Ha ut per τὸ *perfecti* intelligatur subjectum, quod secundum naturam vel essentialiter vel mere participative acceptam est dispositum ad finem virtutis C. ut intelligatur subjectum, quod secundum naturam essentialiter sumptam est dispositum N. S. TH. 1. 2. q. 62. a. 1. ad 1. sic ait: *Dicendum quod aliqua natura potest attribui alicui rei dupliciter. Uno modo essentialiter, uti v. g. homo ex suis intrinsecis est animal rationale; et sic hujusmodi virtutes theologice excedunt hominis naturam. Alio modo participative; sicut lignum ignitum participat naturam ignis, et sic quodammodo fit homo particeps naturæ divinæ: et sic istæ virtutes conveniunt homini secundum naturam participatam. Itaque homo est ad finem virtutum theologiarum dispositus secundum naturam participatam; quia supponitur*

habere gratiam sanctificantem, cui, tanquam naturæ, in suo ordine tum finis supernaturalis, tum media ad eundem finem connaturaliter debentur: non autem secundum naturam essentialem præcise, quia in hac non nisi dispositio mere negativa, seu capacitas quædam passiva, et pura non repugnantia habetur ut illi gratia conferatur, et hac mediante infundantur virtutes; per quod differt homo a creaturis non rationalibus.

Inst. 1. Virtutes theologice in *parvulis* sunt otiosæ; in *adultis* vero nec necessariae sunt ad actus theologicos; cum Deus naturaliter innotescat hominibus ut finis ultimus ac summum bonum, adeoque affirmari, desiderari et amari possit: nec ad actus supernaturales; quia hi a peccatore habitibus carente, tanquam dispositiones ad justificationem, *connaturaliter* eliciuntur.

R. *Quoad 1^{am}. D.* In parvulis sunt otiosæ per se et ex natura virtutum N. per accidens et ex defectu conditionis parvulorum C. Sicut plures aliæ facultates etiam a natura *parvulis* insunt, quamvis illis per accidens in ea ætate uti nequeant: sic etiam ubi parvulis gratia sanctificans necessaria ad salutem infunditur, tunc tanquam naturam in ordine supernaturali consequuntur virtutes supernaturales ut proprietates aut perfectiones connaturales; quod vero his habitibus *parvuli* uti per ætatem nequeant, per accidens similiter est spectata natura virtutum.

Quoad 2^{am}. D. Non sunt necessariae ad actus theologicos naturales C. supernaturales et antonomastice tales N. Deus lumine naturæ nobis duntaxat innotescit ut naturæ auctor, per fidem autem ut auctor gratiæ ac gloriæ; similiter homo ex natura sua præcise ordinatur ad Deum ut finem naturalem; ut autem feratur in Deum ut finem supernaturalem, requiruntur virtutes supernaturales.

Quoad 3^{am}. Non sunt necessariae simpliciter et absolute ad actus supernaturales C. connaturaliter N. vel *subd.* connaturaliter imperfecte et secundum quid C. perfecte et omnimodo connaturaliter N. Potest quidem peccator habitibus carens dici connaturaliter operari, præcise spectando *actus supernaturales*, quatenus ad illos habendos sufficit potentiam esse elevatam per principium actibus proportionatum: omnimode tamen aut perfecte connaturaliter non agit, spectando simul ipsum *subjectum*. Ad hoc enim requiritur imprimis, ut subjecto insit forma, cui, velut naturæ, in suo ordine debeantur tam actus ipsi quam proxima horum principia: deinde ut ea principia sint talia, qualia connaturalis formæ hujus exigentia postulat. Cum ergo peccator ante justificationem hac forma, nempe gratia sanctificante, careat; eadem vero in justo existens connaturaliter petat principia intrinseca et permanentia supernaturalium actuum: sequitur a peccatore non posse connaturaliter proprie elici actum supernaturalem; imo ne a justo quidem connaturaliter elici, nisi in quantum operatur dependenter ab habitu infuso.

Inst. 2. Pelagiani gratiæ habitualis et supernaturalium habituum necessitatem negarunt probabiliter; nec unquam tamen eam ob rem leguntur reprehensi a CONCILIIIS vel PATRIBUS; ergo neque agnita ab his fuit eorum existentia.

R. N. Cons. Pelagiani adeo gratiæ habitualis et virtutum existentiam aperte non impugnarunt, ut maxime eandem cum Catholicis loquendi formulam hic usurpaverint; PATRES vero et CONCILIA non habebant cur ad illam vir-

tutum existentiam profitendam illos urgerent. Cum enim controversia inter ipsos versaretur solum de *necessitate gratiæ* ad opera salutis in communi tum ante tum post justificationem, atque hinc etiam ad initium fidei primamque ad fidem conversionem; PATRIBUS nec occasio nec necessitas fuit expressius asserendi aut urgendi gratiæ sanctificantis cum infusis virtutibus extantiam: siquidem hæc gratia ante conversionem ad fidem non datur, neque virtutes etiam sine illa et ante justificationem infunduntur.

Inst. 3. Trid. abstinuit in doctrina sua num. 43. recitata a vocibus virtutum, habituum aut permanentiæ; ergo nec ex eo certi aliquid eruitur.

R. Ex dictis clarè patet rem et sensum quæstionis nostræ satis fuisse a TRIDENTINO determinatum; cui accedit quod, cum Tridentinum indefinite ac sine distinctione inter parvulos et adultos declarat unicam causam formalem nostræ justificationis, quam antecederat esse sanctificationem per susceptionem gratiæ et donorum, esse justitiam inhærentem et in homine receptam, indeque infert fidem, spem et charitatem in justificatione infundi, quod, inquam, idem argumentum tractaverit, quod Conc. VIENNENSE, facta etiam virtutum mentione, proposuerat. Cur vero abstinuerit ab his vocibus, rationem forsitan dare poterat verbale potius quam reale dissidium Theologorum circa nonnullas habituum et virtutum proprie talium conditiones, quibus assertis vel negatis consequenter asserendum vel negandum erat fidem, spem etc. esse virtutes aut habitus proprie dictos; tametsi certum foret eas esse dona infusa ab actibus distincta et permanentiter inhærentia. Itaque cum prior illa quæstio omnino metaphysica sit et ad *Philosophos* spectet, non erat cur Concilium eam determinandam sumeret.

Inst. 4. Si valerent argumenta a nobis allata, probarent sententiam nostram de virtutum infusione in justificatione esse *de fide*: consequens videtur a nobis non admitti; ergo.

R. Transmissa *M.* a nobis dissimulari *min.* Communior inter Theologos sententia est, ante Tridentinum non fuisse communiter receptum in Ecclesia, ut certum fidei dogma, quod tres illæ virtutes in justificatione infundantur; eo quod nec *Scripturæ* nec *Patrum* auctoritas adeo clara sit, ut, sine alia Ecclesiæ declaratione vel definitione, ad certam fidem faciendam per se sufficiat: post Tridentinum verò neque inter Theologos convenit esse dogma a Concilio hoc definitum, negantibus id scilicet SORO, CANO, MEDINA, BANNEZ, VASQUEZ etc., affirmantibus vero SUAREZ, VALENTIA, RIPALDA et Recentioribus communiter. Hanc litem ut minus necessariam aliis dirimendam relinquere, et certitudinis gradui a nobis asserto acquiescere possumus: præsertim cum ea ad praxin parum referat; siquidem utrinque oriatur fere moraliter eadem obligatio non contradicendi, adeo ut qui rem ipsam pertinaciter negaret, vel notam vel suspicionem saltem non effugere censeretur erroris.

QUERES I. An Virtutes Theologicæ infundantur simul in justificatione?

47. *Nota.* Queritur an sicut charitas nunquam infunditur nisi in justificatione, sic neque fidei aut spei habitus extra illam infundatur, licet quis per actus fidei et spei ad illos habitus se disposuerit. In hac quæstione prima sententia statuit habitus illos sæpè infundi sine gratia sanctificante et cha-

ritate, nempe ante justificationem et statim post elicitos actus: ita SUAR. VASQ. VALENT. et alii. *Secunda* tenet eos, licet non infundantur sine charitate extra sacramentum, infundi tamen in baptismo suscepto cum fide quidem et spe actuali, sed simul cum obice ad gratiam; ita SOTUS, ARRAGON. et pauci alii. *Tertia* negat unquam infundi habitus fidei et spei, sine gratia sanctificante et charitate: ita communius Auctores, cum quibus

48. *Dico.* Fides ac spes nunquam infunduntur extra justificationem et scorim a gratia sanctificante et charitate: adeoque virtutes theologicæ infunduntur simul in prima justificatione adultorum æque ac parvulorum.

Prob. I. EX AUCTORITATE. Conc. Tridentinum, post enumeratas dispositiones, quæ ad justificationem præparant, atque inter illas etiam actus fidei et spei recitatos, c. 7. subdit: *Hanc dispositionem seu præparationem justificationem ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum*: per hæc autem dona ibidem intelligi habitum fidei, spei et charitatis, ostensum est; ergo infusio habitus fidei v. g. non fit ex sola dispositione fidei actualis; sed ex eadem dispositione, qua fit justificatio. Idem ibid. subjungit: *Hanc fidem ante Baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione, catechumeni ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem, vitam æternam præstantem*: Sed catechumeni non petunt ab Ecclesia fidem actualem, quam jam habent; ergo dum petunt Baptismum petunt fidem habituales; ergo hæc non infunditur priusquam justificentur.

Conf. 1. EX CONC. VIENNENSE, quod supponens infundi adultis in baptismo gratiam et virtutes, idem etiam probabiliter dicit evenire in parvulis.

Conf. 2. EX D. THOMA, qui 1. 2. q. 62. a. 4. in 0. docet quod, licet inter actus fidei, spei et charitatis detur ordo prioris et posterioris, id tamen non sit inter habitus; *nam habitus, inquit, simul infunduntur.*

Prob. II. EX RATIONE. Baptismus habet per se virtutem et efficaciam infundendi adultis habitum fidei: sed hanc virtutem non haberet per se, si fides actualis esset sufficiens dispositio ad infusionem habitus fidei; ergo. *Maj.* est certa ex dictis, præsertim cum VIENNENSE hanc rationem præmittat: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis etc.* *Min. prob.* Baptismus per se exigit in adulto ut prius credat, quam ad illum accedat; ideoque baptizandus jubetur prius profiteri fidem juxta præceptum Domini: *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Item *Qui crediderit et baptizatus fuerit*; ubi prius actualis fides exigitur, quam homo baptizetur; ergo si fides actualis sufficeret, tanquam dispositio ordinaria, ad infusionem habitus; per se loquendo semper infunderetur habitus adultis ante baptismum, et baptismus per se non haberet virtutem infundendi adultis habitum fidei.

Si ais 1º. Postquam Trid. l. c. dixisset, virtutes theologicæ homini in justificatione infundi, hæc subjicit: *Nam fides, nisi ad eam accedat spes et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vicum membrum efficit.* Ergo supponit posse prius eam haberi, quam reliquas virtutes. 2º. S. ACC. L. 1. ad Simplic. Q. 2. n. 2. *In quibusdam, inquit, tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum colorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione*

incorporaretur Ecclesiae : in quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi et sancto Dei templo deputentur. D. THOMAS autem 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3. ait : *Dicendum, quod ille, qui accipit a Deo fidem absque charitate, non simpliciter sanatur ab infidelitate* etc. Ergo uterque supponit fidem accipi posse sine gratia sanctificante et charitate. 3°. Habitus fidei conservatur sine charitate ; ergo etiam sic potest infundi : praesertim cum haereticus conversus ad fidem, licet necdum justificatus, jam dicatur et sit simpliciter fidelis.

Ad 1^{um}. R. N. Cons. Concilium agit hac sententia duntaxat contra Haereticos, qui volebant solam fidem sufficere ad justificationem ; cum tamen, ut ibidem subjungitur, *fides sine operibus mortua et otiosa sit*. Adhuc per τὸ *accedit* non significari successionem temporis, patet ex praecedentibus, ubi dicitur : *Haec omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem et charitatem*. Si quis tamen ordo asserendus ex hoc loco sit, est solus ordo naturae : sicut enim intellectus prima potentia est, cui accedit voluntas ; aut doctrina magistri prima est, cui adjungitur discipuli attentio, et non e contra : sic fides in ordine supernaturali est primum, cui spes et charitas accedunt.

Ad 2^{um}. R. D. Cons. Uterque supponit fidem actualem accipi posse sine charitate C. fidem habitualement N. S. Aug. per *gratiam fidei* non intelligit fidem ipsam, multo minus fidem habitualement, sed auxilium gratiae, quod per fidem eamque actualem datur, ut ex praecedentibus patet : *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior et evidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum elemosynis et orationibus dignum se praebere, cui angelus mitteretur : sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset : nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei etc.* Similiter D. THOMAS, ibi solum de fide actuali loquitur, ut manifestant haec verba : *Per hunc modum datur aliquando homini a Deo, quod credat ; credere siquidem actum, non habitum sonat : praeterea loquitur de fide per quam homo cessat a culpa actuali infidelitatis, non habituali ; nam verbis oppositis haec subdit : quia non removetur culpa praecedentis infidelitatis, sed sanatur secundum quid, ut scilicet cesset a tali peccato.*

Ad 3^{um}. R. N. Cons. Minus enim requiritur ad conservationem habitus, quam ad ejus introductionem. Sic ad conservationem habitus fidei sufficit carentia infidelitatis culpabilis, quae non satis est ad illius introductionem : similiter intensio habitus fidei, meritorie per charitatis habitualis actus comparata, perseverat etiam retractata per peccatum lethale charitate. Ratio horum a priori est, quod habitus fidei respectu gratiae sanctificantis habeat se ad instar proprietatis respectu naturae : accidit autem frequenter, ut proprietates nunquam primo existat sine natura, cujus est proprietates ; conservetur tamen etiam abeunte natura.

Ad prob. R. Denominationem fidelis provenire posse tum ab actu tum ab habitu fidei ; atque hinc ille diceretur actualiter, non habitualiter fidelis. Caeterum ab hujusmodi denominationibus non posse desumi efficax argumentum, sed loquendum esse ex communi modo rem accipiendi secundum

materiam substractam, patet in peccatore, qui per peccatum injustitiae amittens habitus infusus temperantiae et castitatis, nihilominus manens adhuc bene affectus erga temperantiam et castitatem, simpliciter etiamnum dicitur castus et temperans.

QUAERES II. An et per quid augeantur Virtutes Theologicae ?

49. Nota. Augmentum virtutum theologiarum, praesertim fidei, potest considerari tripliciter : 1. circa objectum materiale ; et sic appellari potest *extensivum* : 2. penes majorem perfectionem, v. g. firmitatem ; et sic potest dici *perfectivum* : 3. in ordine ad intensionem, quae juxta communem sententiam fit per additionem gradus ad gradum ; et dicitur *intensivum*. De postremo praecipue quaestio est apud Theologos : et quidem quoad 1^{am}. partem conveniunt facile omnes ; non idem quoad 2^{am}. ubi inquiritur quomodo aut per quos actus intendantur virtutes infusae praesertim theologicae ?

50. Dico I. Virtutes theologicas augeri et intendi, certum est ex fide.

Prob. Trid. Sess. 6. c. 10. ita disserit : *Sic ergo justificati et amici Dei a domesticis facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus (2. ad Cor. 4. 16.) inquit, de die in diem ; hoc est, mortificando membra carnis suae, et (ad Rom. 6. 19.) exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est (Apoc. 22. 11.) Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum (Eccli. 18. 22.) Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus (Jac. 2. 24.) Videtis : quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Hoc vero justitiae incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum. Item ibid. Can. 24. ita definiens : Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, neque etiam augeri coram Deo per bona opera ; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam ; anathema sit.*

Si ais 1°. Virtutes per se infusae sunt potentiae : potentiae vero non videntur posse intendi ; ergo. 2°. Virtutes illae non remittuntur ; ergo nec intenduntur.

Ad 1^{um}. R. Axioma minoris valere de potentiis physicis ac naturalibus, quae communius sunt indistinctae a substantiis ; non vero obtinere locum in supernaturalibus, quae sicut et ipsa natura in ordine supernaturali, nempe gratia sanctificans, ad genus accidentis pertinent. Jam vero si sanctitas suseipiat incrementum, et dari etiam possit major naturae divinae participatio, consequens est et gratiam sanctificantem et virtutes infusas, quibus sanctitas et naturae divinae participatio continetur, intendi posse.

Ad 2^{um}. R. Quamvis remissio virtutum per se infusarum absolute loquendo non repugnet ; in hac tamen providentia ejusdem causa assignari nequit : per peccatum mortale enim virtutes illae non remittuntur sed amittuntur ; per veniale autem, sicut non remittitur gratia sanctificans, utpote cui non est oppositum, sic neque virtutes. E contrario causa non quidem physica sed moraliter meritoria tam infusionis quam intensionis et gratiae et virtutum habetur ex TRIDENTINO in actibus salutaribus.

51. *Dico II.* Virtutes theologicæ augentur illis actibus, quibus augetur gratia sanctificans.

Prob. Ex TRIDENT. c. 10. citato patet idem esse incrementum virtutum theologicarum, quod est incrementum justitiæ; ergo et utrumque per eodem actus fieri sequitur.

Conf. 1º Quando infunditur gratia sanctificans, etiam infunduntur virtutes; ergo pariter quando illa augetur, hæc etiam intenduntur; quia sicut gratia v. g. intensa ut duo exigit virtutes ut duo, sic et gratia ut quatuor exigit virtutes ut quatuor, quibus integretur; quandoquidem quo perfectior est natura, eo perfectiores etiam sint proprietates, quæ illam consequuntur.

Conf. 2. Ex S. THOMÆ, qui eandem rationem insinuat p. 3. q. 89. a. 2. in 0.; ubi cum præmisisset, gratiam lethali peccato amissam interdum secundum motum liberi arbitrii in pœnitentia intensiorem vel remissiorem recuperari in magna, interdum in minore intensione, subjungit: *Et eadem est ratio de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.*

Si ais 1º. Per actus fidei in peccatore augetur habitus fidei, quin augetur gratia sanctificans. 2º. Per actum meritorium, v. g. religionis, majus augmentum fit virtutis religionis, quam aliarum. 3º. Homo justus non redditur per quemlibet actum salutarem magis fidelis; ergo nec per solos nec per omnes actus, quibus gratia augetur, intenduntur virtutes per se infusæ.

Ad 1^{um}. R. N. Ass. Actus enim supernaturales etiam fidei sicut in peccatore non præstant, ut infundatur virtus supernaturalis fidei, sic neque ejusdem præbent incrementum: facilitas ex frequentatis hujusmodi actibus in peccatore nata nec ab habitu supernaturali intenso, nec a recens infuso oritur, ut num. 29. dictum est.

Ad 2^{um}. R. N. Ass. Quia virtutum actus non augent proprios habitus causalitate efficiendi aut dispositione physica, sed morali ac meritoria, qua augent gratiam sanctificantem: postrema autem causalitas æqualem habet proportionem cum omnibus virtutibus; quia hæc habent cum virtutibus mediante gratia sanctificante, quam actus meretur, et illæ necessitate æquali sequuntur.

Ad 3^{um}. R. N. vel D. A. Non redditur magis fidelis habitualiter N. actualiter C. Sicut homo per baptismum potest constitui simpliciter fidelis, quamvis fidei actus non præcesserit: sic et potest fieri magis fidelis, quin actualem fidem eliciat.

QUERES III. *In quibusnam subjectis non maneant Virtutes Theologicæ?*

52. *Nota.* Virtutes theologicæ dupliciter possunt desinere in subjectis: 1º. ex oppositione peccati, destructionem virtutis vel expulsionem exigentis: 2º. ex cessatione objecti materialis aut formalis, vel alterius cujuscumque conditionis requisitæ defectu.

53. *Dico I.* Charitas amittitur per quodvis peccatum mortale: fides vero et spes non per quodcumque, sed per mortale directe contrarium.

Prob. 1º. *pars.* Tridentinum Sess. 6. c. 13. *Asserendum, inquit, est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur; sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gra-*

tiam amitti. Sed sive charitas eum multis dicatur esse eadem cum gratia sanctificante, sive dicatur juxta plures ab ea esse distincta, juxta omnes tamen charitas amissa gratia amittitur; sicut hæc singulariter a Tridentino dicitur infundi cum gratia, dum ibid. c. 7. ait: *Id tamen in hac impij justificatione fit, dum Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhaeret;* ergo.

Prob. 2º. et 3º. *pars.* de fide, ex eodem c. 13. recitato, ex quo clarum est aliquod peccatum dari, quo non amittatur fides; et fidem infidelitate amitti. Accedit pro parte 2º. ejusdem Concilii eadem Sess. sancitus Canon 28.: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.* Quod spem attinet, idem statuunt communiter Auctores ex paritate rationis; qui consensus hic, ubi res potissimum decidenda est ex auctoritate, per quam nobis innotescit voluntas Dei, optimi argumenti loco sufficere potest, quod spes etiam non destruat, nisi vel destructa fide, cui tanquam fundamento immititur, vel admissa desperatione, quæ spei immediate est contraria. Porro *ratio congruentiæ* pro 2º. parte est; quia fides ac spes sunt initium et radix conversionis, per quas nempe fit adversus peccata motus præparatio, de qua TRID. ibid. c. 6.: pro 3º. autem parte est specialis oppositio infidelitatis et desperationis contra fidem ac spem, quæ proinde etiam hominem reddit illis habitibus supernaturalibus specialiter indignum.

54. *Dico II.* In Beatis remanet charitas; cessat autem fides, ac spes.

Prob. 1º. *pars.* Quia in cælo æque ac multo magis charitas potest clicere suos actus, et 1. ad Cor. 13. 8. *Charitas nunquam excidit;* in quem locum S. HIER. ait: *id est, ipsa sola permanet in futuro;* S. CHRYSOST. autem hom. 34. in cap. cit. n. 3. docet, Apostolum extollere charitatem supra fidem, eo quod ipsa semper duret, imo post mortem in futuro crescat: in quo consonantes habet S. AUG. ANSEL. et alios.

Prob. 2º. *pars.* Quia ibid. v. 9. dicitur: *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est,* h. e. cum venerit visio intuitiva divinæ essentiae in patria, cessabit cognitio imperfecta fidei, ut explicant Patres et Interpretes. Cui accedit v. 12. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum;* ubi claram cognitionem obscuræ, et sic lumen gloriæ habitui fidei successurum esse, indicatur. *Ratio* ulterior est, quia obscuritas fidei non stat cum intuitiva evidentia tum objecti materialis tum formalis; unde et 2. Petr. 1. 19. dictum est de fide: *Lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat, et Lucifer oriatur.*

Prob. 3º. *pars.* Quia dum S. Paulus 1. c. addit: *Nunc autem manent fides, spes et charitas,* per particulam *autem* videtur innuere diversitatem status viæ, in qua manent tria hæc, a statu patriæ, in qua manet sola charitas juxta vers. 8. Unde S. CHRYSOST.: *Fides et spes, inquit, creditis speratisque rebus advenientibus cessant.* Atque hoc quidem communius quoad actum spei primum conceditur a plerisque, juxta illud ad Rom. 8. 24. *Quod videt quis, quid sperat?* Quoad actus vero secundarios ac ipsum præcipue habi-

tum spei discrepant inter se Theologi, adeo ut assertio data non nisi ut probabilis intelligi debeat.

53. *Dico III.* In animabus purgantibus manent virtutes theologicæ omnes: in damnatis autem nulla.

1^a. *Pars quoad charitatem* non habet adversarium: *quoad fidem* habet unum *Hurtadum* dubitantem; sed quia animæ purgantes necdum plene sunt in termino, ad eas quoque pertinet illud 2. ad Cor. 5. 7. de peregrinantibus dictum: *Per fidem ambulamus, et non per speciem*: ac præterea cum nondum habeant visionem beatificam, neque etiam de omnibus objectis, nequidem evidentiam in attestante, neque eorum status, utpote pœnosus, excludat obscuritatem; nihil prorsus obstat ne retineant fidei habitum supernaturalem, in via acceptum. *Quoad spem* similiter consentit communis cum S. THOMA; et ipsa ratio persuadet, cum possint Deum, quem necdum possident, sperare possidendum. In eo autem actu, quamvis adjungatur certitudo, nihil desideratur ad spem perfectam; cum arduitas spei non stet in incertitudine, sed in eo quod res viribus nostris solis obtineri nequeat, ut alibi dicitur.

2^a. *Pars de charitate* est extra quæstionem, et sequitur ex num. 53. *De fide prob.* Quia damnati imprimis indigni sunt ut donum hoc supernaturale retineant: deinde quia in eis impossibilis est actus fidei supernaturalis; tum quia perpetuo privantur auxilio supernaturali, ex parte intellectus, quo ad fidem excitentur: tum quia carent pia affectione ex parte voluntatis ad actum fidei requisita. Unde Auctor L. de Divin. Nomin. c. 4. *In quo*, inquit, *malos fieri demones dicimus, nisi in vacatione*, h. e. evacuatione seu privatione, *divinorum bonorum*. Et S. AUG. L. 9. de Civ. c. 21. scribit, demones non cognovisse Deum per lumen quod illuminat fideles, sed per alia divinæ virtutis effecta et signa etc. Idem constat *de spe*; quia damnati nec fidem nec ullam illustrationem supernaturalem ex dietis obtinent, ac præterea certi sunt se in æternum nihil operaturos boni, nec Deo fruituros: unde sicut desperatio sequitur, sic certo amittitur habitus spei.

DISPUTATIO II.

DE OBJECTO FIDEI.

CAPUT I.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN GENERE.

ARTICULUS I.

QUODNAM IN GENERE SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI?

Quæstio principalis hic agitur cum Hæreticis, qui triplicem fidem distinguunt, *historicam* nempe, *miraculorum*, et *promissionum*, et postremam subdividunt in generalem et specialem; quarum priores duas nec utiles nec ad salutem et justificationem necessarias asserunt. Porro *fidei historicæ* pro objecto tribuunt tum res omnes olim gestas, tum comminationes divinas, tum pœnas peccantibus inflictas, quæ in Scriptura perhibentur: *fidei miraculorum*, omnipotentiam divinam, quæ omnia possit etiam naturam omnem creatam excedentia: *fidei promissionum generali*, promissam omnibus in Christum credentibus salutem: *speciali*, misericordiam Dei, seu remissionem peccatorum et justificationem, quam quilibet in individuo sibi per justitiam Christi imputatam confidat, seque justum et prædestinatum pro certissimo habeat. Ita Calvinus L. 3. Inst. c. 2.

56. *Dico I.* Objectum materiale fidei theologicæ est omnis ac sola veritas a Deo revelata; sive ea sit divina seu de Deo, ejus perfectionibus, aut decretis liberis, sive creata.

Prob. 1^a. p. Objectum materiale fidei theologicæ est omne ac solum id quod propter solius Dei auctoritatem creditur; cum hanc solam ex dictis num. 43. fidem theologicam vocemus, quæ Deo dicenti exhibetur: sed omnem et solam veritatem a Deo revelatam propter ipsius revelantis auctoritatem credimus, ut ex terminis liquet; ergo. Dixi: *veritas*; tum quia Deus falsum aut mendacium dicere ac revelare nequit: tum quia mendacium quidem subjectum fidei esse potest, minime vero propositio falsa aut mendax ut talis credi fide divina.

Pars 2^a. ex jam dicendis clarius patebit.

57. *Dico II.* Objectum materiale fidei ad justificationem et salutem requi-